



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 31. Julius Sabellus cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

fuit, longiore vita & fortuna digniffimus: obiit demum Romæ die vigesima quinta Januarii anno ætatis suæ quinquagesimo secundo.

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

§. XXXI.

Julius Sabellus Cardinalis mortuus.

Denique hoc anno die octavo Julii Romæ, ubi natus est, vivere desiit

Ciacon. in
vita Paul. V.

Julius Sabellus ex illustrissima Principum hujus nominis gente ortus. Hic multis Præfecturis integre sancteque defunctus, a Paulo V. ad conciliandam pacem inter Philippum III. & Carolum Sabaudix Ducem Nuntius Apostolicus nominabatur, inde vero non sine prosperi successus gloria reversus, Ripal-
tensi Abbatia, Purpura Romana, & postmodum Anconitano Episcopatu, & Bononiensi Legatione honoratus est, ubique ob insignem prudentiam, humanitatem, & moderationem omnium animos ad se alliciens, & apud omnes desiderium sui relinquens. Paulopost petente Philippo IV. Salernitanus Archipræsul renuntiabatur, quem etiam Uladislau Poloniæ Rex, & Ferdinandus III. Germaniæ tuendæ vindicem, & ad Urbanum VIII. Papam Oratorem selegerunt: indictis demum Pontificiis comitiis Julius, cum ad majora prope-

F 4 raret,

Sæc. XVII. raret, hoc anno omnium luctu septua-
A. C. 1644. genarius vitæ cursum absolvit, æter-
 nam dignitatem meruisse contentus.

§. XXXII.

Guidonis Bentivolii Cardinalis fata.

Nic. Erythr.
Pina II.
pag. 332.
Ughell. Ital.
Sacra.

Jam Urbanus VIII. fatis cesserat, cum Guido Bentivolius in primo con-
 clavis ingressu Pontificatus spem & vi-
 tam amisit. Hic nobilissimo genere
 Ferrariæ ortus ab ineunte ætate se to-
 tum pietatis studio consecrans, latino,
 Hispano, & Gallico idiomati, literis-
 que humanioribus sedulam navabat
 operam: demum in Patavina Universi-
 tate Jurisprudentiæ præceptis imbutus,
 Romam ad capeffendam Rempublicam
 accessit, ibidemque a Clemente VIII.
 & Paulo V. variis honoratus officiis,
 atque Archiepiscopus Rhodiensis & Se-
 dis Apostolicæ Nuntius renuntiatus,
 Belgicam Provinciam summa morum
 integritate, ac mira prudentia non sine
 magno Catholicæ Religionis incremento
 moderabatur. Adfuit etiam transla-
 tioni Corporis sancti Alberti Episcopi
 Leodiensis & Martyris, dum illud Bru-
 xellas ad Sacram ædem Carmelitarum
 Virginum Excalceatarum deducebatur.
 Transactis jam in Belgio pluribus annis
 Bentivolius a Paulo V. Purpura deco-
 ratus,